



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Homo piger & pusillanimis potest in delicta varia cadere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

mortale est, propter iniuriam quæ fit Deo aut homini gratia materiæ. Et hoc intellige de sententia consummata in opere voluntario interiore (puta credere) vel exteriori, puta colere, emere &c. secundum erroneam pertinaciam. Quod ideo dico: quia si in solo nudo puroque intellectu quæcunque pertinacia consistat, credat autem, speret, diligat opereturque, secundum communem Ecclesiæ traditionem, nullum video peccatum mortale.

Pignus accipere illicitum redditur tripliciter. Primò, si ad lucrum non computandum in fortem accipitur, quia hoc est contra naturalem iustitiam. Secundò, ex materia prohibita, ut si homo liber accipiat in pignus pro debito: aut si vasa sacra & huiusmodi ecclesiastica contra iuris dispositionem impignorentur, Tertio, ex adiacentibus pactis prohibitis à iure: quæ tria ponuntur. Primū, si debitor obligat se dare pignus in solutū. Et ad hoc reduci dicitur, si fiat pactum ut si die tertio non soluerit, pignus transeat in feudum. Secundum, si debitor obligatur ad non redimendum pignus absolutè, vel ante talem diem. Tertium, si creditor obligatur ad non vendendum pignus post legitimam interpellationem debitoris.

Et hæc omnia pro quanto cum damno partis siue debitoris (ut duo prima) siue creditoris ut tertium, tendunt, peccata sunt iniustitiæ: ac per hoc mortalia, ultra iuris positiui transgressionem, quæ ex concurrentibus conditionibus singularibus personarum, &c. pensatur.

Homo piger & pusillanimis potest in delicta varia cadere.

Pigritia (qua homo tardus metu laboris passionis, aut difficultatis apparentis redditur ad opus una exequenda) peccatum est: quia rectæ discordat rationi.

racioni. Iuxta materiam autem subiectam iudicandum est de mortali: si scilicet contra aliquid necessarium ad salutem trahit & ducit iuxta regulas de negligentia.

*Prædo marinus grauisimo peccatorum,
vinculo tenetur.*

Pirata (hoc est prædo marinus) contra humani generis pacem manifestè agit: & est in statu damnato. Quomodo autem sint piratæ excommunicati, habes supra, excommunicatio.

*Hominihus placere studere an sit
vitiosum.*

Placere hominibus peccatum tunc solùm est, quum propterea à recta ratione disceditur. Mortale autem est tunc tantum, quum propterea dilectionem Dei aut proximi postponimus. Quòd tunc tantum incurrimus, quum propterea diuina aut humana præcepta transgredimur: vt quum ministri principis vt placeant illi non curant offendere proximos: vt placeant iuncto sanguine vel amicitia, negant iustitiam: aut opprimunt alios faciendo vel loquendo, vel tacendo & sic de aliis. Frequensque hoc videtur vitium paruipendentium illud Apostoli: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.

*Pollutio dupliciter consideratur, scilicet vt
voluntaria, & est peccatum; in inuoluntaria, & vt non est peccatum.*

Pollutio (qua semen humanum solitariè funditur) si non est voluntaria, siue in somno siue in vigilia, sit peccatum non est. Si autem est voluntaria, peccatum mortale est, & est vnū de peccatis contra naturam.